

cum cæremoniario et acolytho de aqua benedicta accedit ad Episcopum, cui aspersionum cum debitis reverentiis et osculis porrigit, cæremoniario et acolytho interim genuflectentibus usque ad reditum ad altare; ipse vero Episcopus primo seipsum, tum celebrantem stantem capite inclinato, postea assistentes et solii ministros aspergit, et deinde aspersionum celebranti reddit; qui illud cum debitis osculis recipit, et facta reverentia Prælato, rediens ad altare, aspergit diaconum et subdiaconum, clericos et populum more solito, Prælato reverentiam faciendo, dum ante eum transit. Diaconus autem et subdiaconus ad altare permanent, et solus cæremoniarius et acolythus cum aqua benedicta celebrantem comitantur (1).

**46.** Dum Prælati interest vespere solemniter cantatis; in accessu ad altare celebrans cum ministris debitam facit reverentiam Prælato, et antequam cantet *Deus in adiutorium*, iterum profundam inclinationem ad petendam licentiam incipiendi. Dum cantatur antiphona ante *Magnificat*, thuriferarius accedit ad Prælatum genuflectens; dignior vero ex presbyteris offert naviculam et cochlear cum solitis osculis ut infra missam. Incepto cantico *Magnificat*, celebrans facit reverentiam Prælato, thurificat altare more solito, et in fine duplici ductu incensatur. Deinde thuriferarius vadit cum thuribulo ad Prælatum, qui incensatur a presbytero assistente triplici ductu; et demum omnes suo ordine thurificantur. Dicto per chorum *Benedicamus Domino*, Episcopus solemniter benedicit, ut in fine missæ: celebrans interea stat profunde inclinatus versus Episcopum, et reliqui, qui non sunt canonici ecclesiæ cathedralis, genuflectunt. Indulgentiæ in vespere numquam publicantur. Finitis vespere celebrans facta reverentia altari et Episcopo, redit ad sacristiam (2).

**47.** Dum Episcopus interest benedictioni ss. Sacramenti; genuflectere potest in primo stallo chori vel super genuflexo-

(1) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 3, n. 198.

(2) Praxis Pontificalis, tom. 2, n. 29.

rium sibi paratum ante medium altaris, vel potius, ne terga ei vertantur, e regione in cornu epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat, ut dictum est n. 38. Non opus est, ut duo diaconi vel presbyteri ei assistant. Celebrans et ministri in accessu ad altare et iterum in recessu ad sacristiam debitam Episcopo faciunt reverentiam, modo ss. Sacramentum non sit expositum. Quamdiu expositum manet, genuflectunt in medio ante altare etiamsi terga vertant Episcopo. Si Episcopus cappa magna sit indutus, ipsemet incensum imponere et ss. Sacramentum thurificare debet, ministrante digniori canonico vel alias primo assistente celebrantis, sed sine osculis et sine benedictione; si autem Episcopus cappa non sit indutus, celebrans thus imponit, et ss. Sacramentum incensat. Celebrans benedicit cum ss. Sacramento tam Episcopum quam reliquos, quia ipse Christus est, qui benedicit (1).

---

MISSA PRIVATA CELEBRANDA AB EPISCOPO.

**48. 1.** Cum Episcopus celebrabit missam privatam, convenit ut paramenta missæ non in sacristia (nisi ss. Sacramentum in altari sit expositum) sed ex ipso altari, in quo celebrabit, accipiat (2).

2. Ante altare paratur faldistorium seu genuflexorium; in medio altaris casula, stola, cingulum, alba, amictus et in missa de Requiem etiam manipulus: in credentia calix, manipulus, mantilia pro ablutione Episcopi, bugia et alia necessaria. Indumentis pontificalibus Episcopus non utitur in missis privatis præter crucem pectoralem (quam accipit ante stolam) et anulum. Manipulum Episcopus non accipit ante stolam, nisi in missis defunctorum, sed accipit ad altare,

(1) S. R. C. 26 Aug. 1702 et 31 Mart. 1703, n. 3483 et 3493-3632 et 3642; 12 Jul. 1855, n. 5221, 8; Vid. Praxis Pontif., tom. III, n. 239.

(2) Cærem. Ep. lib. 1, c. 29, n. 1; Vid. Praxis Pontif., tom. I, n. 221-226.